

**Disputatio inauguralis medica sistens novam februm intermittentium
hypothesin ex ipsis principiis mechanicis deductam ... / [Christoph
Wilhelm Sattler].**

Contributors

Sattler, Christoph Wilhelm, 1665-
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae : Literis Salfeldii, [1694]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/btr2anuy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

I. N. 7.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

NOVAM FEBRIUM INTERMITTENTIUM HYPOTHESIN,

Ex ipsis Principiis Mechanicis deductam

QUAM

Potentissimi Electoris Brandenburg.

Clementia,

Annunte Nobilissimorum Dnn. Medicorum Consessu

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO, D.
Medico Electorali Brandenburg. Professore
Medicinæ, Rerumq; Natural. Publ. & Ordinar.

PROMOTORE MEO HONORATISSIMO,

PRO GRADU DOCTORALI
Solennissimo Inaugurationis Actu

More consveto rite consequendo,

In Illustri Hallensium Fridericiana

Publicæ Eruditorum Disquisitioni


IN AUDITORIO MAJORI

submitto

CHRISTOPH. WILHELM SATTLER

Gren. Gvelfpherbyt.

D. XV. Jun. A. O. R. M DC XCIV. Hor. ante & pomerid.



HALÆ, Literis SALFELDII, Regiminis Elect. Brandenb. Typ.

J. J.

DISPUTATIO IN AUGURALIS

De

FEBRIUM INTERMITTENTIUM NOVA HYPOTHESI.

I.

Nullus morbus tam familiaris ac infensus corpori humano est, quam ipsa febris, utpote quæ sola non tantum machinam nostram invadit & sæpe opprimit, verum etiam frequentissimè aliis morbis sese associat, illosque longe graves & acerbiores reddit. Imo nullus fere morbus est, qui non aliquid febrilis mentiatur; Adeo morbus hic universalis est. Verum turpe dictu est, almæ Medicinæ facie hoc seculo maxime coruscante & splendidiore facta, morbi hujus vulgaris causam nondum accurate detectâ ac demonstratam esse, sed saltim meras ac vanas de causâ febrium, illarumque origine ac genesi, in foro Medico proflare opiniones ac conjecturas, quæ animo curioso & attento minus satisfacere possunt. Tot fere opiniones ac illarum divortia de febribus sunt, quot celebres in arte Medica Scriptores. Quisque ferme ex principiis suis male formatis, & plerumque fictis, in Scenam produxit de febribus hypothesein. Verum cum non nisi, quod intellectu clarum, perspicuum, & distinctum, in rerum scientiis & causis detegendis admittere debeat mens, ex quibus deinde circumspecta ratione deducta, non nisi vera esse possunt, hinc in Tractatione totius Medicinæ eo allaborat, *Excell. D. Præses*, ut ad principia Clarissima intellectu facillima, simplicissima, ipsaque Mechanica, quæ

omnium sunt prima, & ex quibus totius universi opera constructa sunt, reducat ipsam Medicinam, & ex illis, quæ perplexa, abstrusa, & recondita hætenus fuerunt, clarissime & ad oculum demonstraret. Et quoniam ex ejus ore hætenus hausi novam hanc circa febrium intermittentium hypothesein, ex Principiis Mechanicis deductam, & quæ satisfacere videtur omnibus occurrentibus dubiis & difficultatibus, & in hoc omnibus hætenus detectis præferenda, non dubitavi, quin loco *Disputationis Inauguralis* hanc hypothesein ventilandam mihi ad manus sumerem, ut contradictione aliorum forsân illa clariorem lucem accipiat. DEUS ex alto annuat nostris conatibus clementissimè.

II.

Præsupponimus febribus intermittentibus, non secus ac pene omnibus morbis aliquid subesse spasmotici, & partes corporis nostri impetum facientes, seu Spiritus sic dictos animales, cerebri nervorumque incolas hic pati, & præternaturaliter esse affectos; etenim in ipsis nervis pleraque se prodere solent Symptomata, eaque ipsa sunt ejusmodi, ut ab alio fonte, quam nervoso, vix derivari ac peti possint. Certum ac statum est ex principiis Physiologicis, subtilissimum istud cerebri & nervorum fluidum, ex particulis aëris nobilioribus, elasticis, & ipsius Sangvinis & feri subtilioribus corpusculis conflatum, primarium partium corporis nostri, tam fluidarum, quam solidarum, esse movens, impulsūque faciens, unde omnes partes debitum suum vigorem ac robur indipiscantur; proinde Microcosmico hoc movente præcipuo, à statu & motu suo naturali deflectente, omnes qui ab eo in machina nostra celebrandi motus dependent, non possunt non partim imminui ac succumbere, partim destrui, unde morborum ipsi usque mortis origo, & causa petenda. Uno verbo Spiritus animales, juxta Verulamium, sunt quasi rota suprema, quæ omnes alias rotas in corpore humano circumagit.

III. No-

III.

Notissimum est & perpetuum per Medicinam, spasmus seu motum contractivum fibrarum nervearum, membranacearum, & musculosarum, esse affectum Spirituum animalium, & notare illorum motum in ipsis fibris, quæ omnes tubulatæ sunt, inæqualem, inordinatum, & confusum, nimiamque ac impetuosam fibrillarum illarum expansionem ac inflationem, quod ita procedit: fluidum nervorum blanda elasticitate præditum, in naturali statu placide & æquali motu cujuscunque generis fibras apertas & patulas subire, illasque vigorare, expandere, & ad sensationem, motum, ac nutritionem ordinatam disponere debet. Ex obstructione autem ac occlusionem fibrillarum angustissimarum tubulatarum, solidissima Spirituum animalium corpuscula, vi insigni motrice instructa, motum suum rectilineum æquabilemque percurrere impediuntur, hinc, dum resistantiam in vasculis inveniunt, resiliunt, reflectuntur, & ex reflexione potentia motrice adaucta, in ipsas fibrillas insultum ac impetum efficiunt, illasque plus justo distendunt, sicque contractionem dolorificam ipsis inducunt. Claret namque ex principiis Geometricis, lineam longam, quod si incurvetur, fieri brevior; pari modo fibræ partium solidarum, expansione incurvatæ, longe breviores evadunt, sicque mutua accessio fit parietum, adeoque contractio, & ad fluidum, quod in ipsis fibris hæret, excernendum, compressio ac stimulatio; quo mechanismo etiam perficitur cordis systole, & ex hac dependens impulsus sanguinis in ipsas arterias.

IV.

Quod si itaque ipsa symptomata febribus complicata, & quæ inter initia ingruere solent, paulo curatius inspiciamus, illorumque rationem apte reddendam evolvamus, apertissimum erit, non melius explicari hæc posse, quam per spasmoticam contractivam fibrillarum harum distensionem. Præludunt ut pluri-

num febribus pandiculationes, cutis evadit aspera, scrotum corrugatur, pulsus solito tardior & contractior est, alvus adstricta, clysteres applicati non operantur, urina suppressa, vel longe dilutior mingitur, anhelitus adest difficultas, transpiratio cutis inhibetur, excretiones aliæ v. g. sanguinis menstrui, suspenduntur, quæ omnia fibris coarctatis & in arctius spatium coactis, introrsumque retractis, adscribenda veniunt.

V.

Longe autem apertius spasmodicos motus in ipsis febribus indicant ingentes illi rigores, qui levioribus velitationibus, quandoque ad immanes concussiones partium progrediuntur, non absimiles ipsis convulsionibus, & in dorso, spinalique medulla plerumque primum perferuntur, in illis personis, maxime fœminis, quibus systema nervosum admodum imbecille est, summe molestas dolorificas hypochondriorum contractiones, ventriculi & intestinorum everSIONES, vomitionesque, pathemata sic dicta hysterica, & spasmodica excitant. Porro molestas nervorum atq; membranarum irritationes, vel convulsiones in paroxysmo febrili, testantur immanes dolores artuum, pedum, capitis &c. & hæc est ratio, cur illi qui decedunt febribus, semper in ipso frigore convulsionibus adauctis fati cedant, & quod frigus longe sit molestius ipso calore. Extremis itaque sic coarctatis & compressis, exprimitur omne fluidum, & sanguis in ipsis partibus cutis contentus, unde accidit, ut frigoris sensus molestus adsit, qui non nisi à quiete & motu cessante intestino ac circulari sanguinis, per extremas illas partes oritur; partes extremæ v. g. natus cum fronte, pedes frigent, ungues livescunt, venæ quæ antea turgebant, in ipsa cute sunt minores, & sensum fugiunt, omnesque partes fluidæ in cortice cutis contentæ, introrsum retrahuntur & à circumferentia ad centrum coguntur, propter partes contractas & coarctatas, hinc in frigore transpiratio quoque & sudor multum cohibetur.

VI. Restat

VI.

Restat jam ut dispiciamus, quâ ratione insignis illa corporis incallescencia fiat, & quomodo ab hac cætera symptomata dependentia v. g. oris ficitas, sitis, pulsus celer, vigiliæ non raro cum delirio, urina rubicunda, cum magno sedimento, hæmorrhagiæ dependeant. Nimirum certum est, horrore per compressionem & contractionem fibrillarum, extrudi in illis hospitantem materiam, incongruam, acrem, viscidam, quæ in sanguinem ubivis præterfluentem transit & propter difformitatem particularum & intestinum contrarium motum Massam sanguineam in magnos excitare tumultus, illiusque mixturam mirum in modum turbare, apta est. Non autem solum materia incongrua in tubulis contenta in corpus repellitur, sed & propter constrictionem violentam vasorum extremorum sanguis & omne fluidum repellitur, & retrocedit, sicque in vasis interioribus fit coacervatio & collectio sanguinis: quare externæ detumescunt arteriæ & venæ, internæ autem majores fiunt & distenduntur, sanguis ad efficienda interstitia minora comprimitur, sphaerulæ elasticæ tam sanguinis quam Spirituum animalium violenter comprimuntur, quo fit, ut arteriæ, quæ fibris etiam motricibus constant, distensione illa ad contractionem & extrusionem sanguinis vellicentur, hinc nisu constrictivo sanguinem expellunt, unde pulsus cordis & arteriarum celer; spiræ elasticæ Spirituum summo nisu restitutionem suam affectant, mirum iterum expanduntur, æther elasticus per respirationem sanguini communicatus, poros sanguinis arctiores vi quadam perrumpere nititur, hinc maximus & confusus inordinatus hoc modo in sanguine & Spiritibus animalibus oritur motus, & quidem intestinus. Dum enim sanguinis circulatio inæqualis, & per corporis extrema quadantenus sublata est, motus ille intestinus crescit, & vis illa movendi elastica sanguinis & Spirituum, quæ per progressivum liberum motum sese exerere debebat, jam impetum facit in ipsas sanguinis particulas, illas undique & ad omnia latera in circulum movendo, situmque illo-

rum

rum turbando, ex quo confuso circulari particularum motu, maximus oritur calor & ardor corporis nostri.

VII.

Potissimum autem intestinus hic maximus sanguinis motus dependet ab æthere, beneficio aeris hausto, dum rectilineum, suum iter per poros sanguinis præternaturaliter constitutos absolvere non potest, propter resistantiam & pororum sanguinis coarctationem, quaqua versum in omnia latera refringitur, atq; reflectitur, hinc motus vorticosus & circularis, & exinde summus calor ac ardor, cujus essentia in circulari & celerrima particularum subtilissimarum exagitatione consistit, exurgit. Quod autem æther propter impeditum motum rectilineum, qui ipsi connaturalis est, ob resistantiam, & spatiola sanguinis artiora in circulum sese movere incipiat, ex ipsis Mechanicis patet: dum nimirum omne corpus sphaericam figuram habens, in celerrimo motu existens, & ad corpus durum, ubi resistantiam invenit, latum, reflectitur, & in hac ipsa reflexione circulum describit.

IIX.

A violenta itaque ætheris per sanguinem traiectione, motioneque ejus circulari fortiori facta, & nimia sphaëricularum sanguinis, & Spirituum animalium compressorum elastica expansione, corpuscula sanguinem constituentia mira agitatione commoventur, confunduntur, & intervalla horum corpusculorum sive pori distenduntur, sicque sanguis rarefit, hinc accidit, ut vasa propter calorem & motum fortiolem arteriosa nimium turgeant, ad pulsum fortiolem ac celerem stimulentur, particulae sanguinis & feri evaporabiles fortissimo hoc motu dissipentur, serum, quod materiam omnium humorum excrementitiorum constituit, inspissetur, unde facile patet plurimorum symptomatum ratio.

IX.

Urina rubicunda & pauca in febribus mingitur, quæ frige facta
crassum

crassum deponit sedimentum, propter dissipationem humidi, & inspissationem particularum sulphureo salinarum sanguinis: ob eandem rationem alvi excrementa exsiccantur, sudor & sputum viscidum fit, capitis dolores febribus familiares oriuntur ex distensione vasorum capitis, tam internorum quam externorum, nimia, & consequenti partium vicinarum pressione: Ex eodem fonte fluunt quoque hæmorrhagiæ; Vigiliæ propter celerrimum Spirituum animalium, per cerebri & cerebelli angustissimos tubulos transfluxum fiunt, & quando ratio enormi huic motui amplius imperare nequit, mentis abalienationes & deliria præstolantur.

X.

Ex hisce jam adductis clarissime patet, febrium essentiam, originem & generationem aptissime explicari & demonstrari posse, ex ipsis æternæ veritatis Mechanicis, & mere naturalibus principiis, sic, quod alii diversis nominibus, terminis obscuris, & concipiendi modis notarunt, nos apertius jam concipimus, quid ipsum sit. Veteres assignabant febrilem causam calori præternaturali, seu flammæ in corde accensæ, & per totam sanguineam Massam se diffundenti, alii Archæo excandescenti, & contra causam morbificam se armanti. Quidam ex recentioribus subtiliori cogitatione rem aggredientes, calorem deducere volebant, ex effervescencia contrariorum humorum, it. ex fermentatione præternaturali sanguinis, propter fermentum peregrinum, extra sanguinis pomæria consistens, & per vices cum sanguine mixtum: Alii accusabant motum sanguinis circularem adauctum, & mixturam Massæ sanguineæ, ratione ordinis ac situs, pororum & particularum, turbatam, propter fermentum peregrinum, minima quantitate infensum, partim Spiritus animales, partim ipsum sanguinem inquinans. Nos repudiatis illis omnibus insufficientibus fundamentis & Principiis, quæ neutiquam rigoris & frigoris ordinisque typorum rationem reddere possunt, ex simplicissimis Motus Principiis & Legibus, causam febrilem determinare

minare & definire conamur, firmiterque concludimus, febrem non nisi motum esse inæqualem partium corporis nostri fluidarum, præprimis Spirituum animalium. Inæqualitas autem motus hujus fit exinde, dum nimirum ille motus, qui uni parti subtrahitur, crescit & augetur in altera. Uti autem natura in omnibus amat æquilibrium, sic quoque perfecta sanitas, & vita nostra in æquilibrio motus, & æquabili temperie ac motione partium fluidarum per solidarum tubulos consistit, quo æquilibrium servato, tota machina in vigore est, quævis partes destinata sua munia ad votum obeunt. Motu autem isto æquabili destructo, & anomalo reddito, statim ἀταξία in omnibus actionibus vitalibus celebrandis sese exerit, adeoque in febribus, dum per extremas partes vasaque capillaria nimis angustata Spiritus animales, ipseque sanguis in circulatione sua quadantenus sistitur, particulaeque elasticæ comprimuntur, necessum est, ut in interioribus vasis non solum sanguis, & Spiritus animales in quantitate, augeantur, sed & motus longe fortior & validior fiat.

XI.

Explanata & dilucidè sic exposita ipsa formali causa februm, operæ jam pretium est, ut inquiramus, quidnam illud sit quod talismodi inæqualem motum in ipsas partes corporis fluidas introducere possit, & quomodo spasmodicæ illæ contractiones immediate frigoris naturam, & hinc subsequenter calorem sanguinis, seu productum, constituentes, oriantur. Diximus superius, quando per fibrillas apertas & patulas Spiritus animales, serumque arteriosum subtile placidè movetur, actiones vitales optime esse constitutas; vice versa: quando fibræ illæ, maxime quæ musculos constituunt, à materia quadam viscosa, acrisunt obstipatæ, turbatum ac irregularem fieri motum, dictum Spasmodicum: Ut itaque firmemus hanc causam, primò probandum nobis incumbit, quod fibrillæ hæc cavitatem habeant; ultro quidem fateor, hanc ad oculum non patere, verum ex effectu sufficientissimè convincimur, fibrillas has esse tubulatas, & id maxime omnium testatur augmen-

augmentum & decrementum illarum in negotio nutritionis; deinde quod longe minores fibrillæ, licet ad sensum destitutæ sint, omni cavitare, cavitates in se contineant, per quas etiam certi humores circulantur, uti id patet in pediculo, & caudâ angvillæ, ubi per microscopium accuratè fabrefactum per tenerrimas fibrillas sanguinis transfluxum & circularem motum apertius cernere licet. Si itaque veri sunt tubuli istæ fibrillæ, certum est, illas quoque obstrui & occludi posse, quo pacto autem id fiat, res altioris indaginis est, maximè cum illud occurrat difficillime solvendum dubium, quod nimirum tota febris omnisq; morbus per certum saltem tempus, invadat, reliquo autem quiescat & homo sanus sit.

XII.

Ut itaque & huic dubio satisfaciamus, statuendum esse videtur, paroxysmum febrilem declinare & remittere, dum æqualis motus Spiritibus animalibus partibusque fluidis restitutus fuit, ipsis his partibus, roborato elatere, obstructions minutissimarum fibrillarum circa cutē maximam partem expugnantibus, quare plerumque sub declinationem paroxysmi febrilis transpirationis augetur & sudor longe largior fluere solet; indicio manifesto: apertos jam esse illos ipsos tubulos, qui antea sub ipso rigore & contractione spasmotica valde erant occlusi. Duplex autem hic occurrit quæstio: Primo per quas vias fibrillæ istæ obstruantur, & quare isti tubuli semel iterum aperti, post febrium declinationem denuo occludantur, & novi paroxysmi occasionem subministrant. Quod primum attinet, statuimus, arterias & nervos esse cardinalia illa præcipua vasa & canales, ex quibus omnes pene fluores, & liquida in corpore existens materia, originem suam nanciscitur, & uti succus gelatinosus nutritius beneficio arteriarum allatus per fibrillas illas circulatur, sic nullum dubium est, etiam materiam viscidam, acrem, poris fibrillarum harum incongruam simul cum succo illo nutritio, impellente ipso sanguine arterioso, huc deferri posse, sicq; mineram febrium ibi constituere. Quod secundum membrum attinet, veri videtur simile, in omni febrili

B 2

paro-

paroxysmo non semper in totum recludi constipatos illos extremarum partium tubulos, sed in illis sæpissime reliquias quasdam remanere, & quamvis etiam hoc fieri possit, probabile tamen est, tum tubulos istos minutissimos calore corporis fortissimo, motuque celerrimo agitados, extra naturam suam ac sphaeram distendi, ampliari, uno verbo, post paroxysmum poros minutissimos fieri patentiores. Hoc accidit, ut lege circulationis ad has distentas partes etiam particulae magis incongruae, viscidae, ibi deponantur, quae per transpirationem minus diffiliari possunt, sicque unus paroxysmus semper causare potest alterum, & sic videmus, dilatationem nimiam pororum tubulorumque in extremis partibus, causam esse, ut hic subsistere possit materia quaedam acris viscida.

XIII.

Incongrua autem hæc materia in illorum tubulis flaccidis aliquantisper sine notabili molestia stabulari potest, utpote cum à vehementi sanguinis concitatione libera, tum propter visciditatem mollioris generis continentia vasa minus exercet, moleque exigua intra conceptacula placide per plurimum horarum, imo dierum spatio coerceri potest, ubi vero tractu temporis usque adeo impleta fuerint valcula hæc, ut absque molestia ulteriorem distensionem tolerare nequeant, fibrillae hæc lancinantur, & in motus contractivos ad molestum hunc hospitem extrudendum componuntur, sicque rigor inducitur, quæ quidem lancinatio & irritatio, quamvis uno in loco forsan incipiat, sive hoc apud originem medullæ oblongatæ contingat, sive in canaliculis, dicto tamen citius, in universum systema nervosum, tanquam admoto pulvere pyreo accenso, propagatur, sicque fit, ut ad corrugationes, arctioresque contractiones totus fibrarum tractus adigatur, sicque non solum materia mixturæ difformis, acris, viscida, stagnans

stagnans cum sanguine miscetur illum turbando, sed & propter retropulsionem sanguinis ad maximum in corpore æstus occasio subministratur; æstus autem hic non prius sedari poterit, quam exantlata vel sufflaminata fermenti hujus affusi activitate, vel per congrua evacuatoria corporis illâ amandatâ, sic naturalis sanguinis crasis & motus æqualis integer iterum fit, paroxysmus cessat, & apyrexia sequitur.

XIV.

Posita & statuta sic causa paroxysmos febriles excitante, necesse est, ut quoque inquiramus, quænam ad hanc causam constituendam symbolum suum contribuant. Ex omnibus autem maximum momentum hic ponit aër, qui quoniam materiam Spiritibus animalibus & sanguini elasticam communicat, pro diversitate agitationis & motus sui, & variorum effluviorum in ipso contentorum miros effectus in corpore nostro producere potest, dum nimirum incongruas, subtiles tamen, multas particulas in sanguinem & Spiritus animales inducit, & prout magis calidus vel frigidus est, poros cutis vel nimis patulos & apertos reddit, vel illos nimis constringit, vasaque corporis nostri & tubulos vel nimis distendit, & sanguinem in ipsis rarefacit, vel nimis constringit, fluidumque in illis contentum condensat, non secus ac in thermometro videmus, à calore & frigore aëris fluidum vel rarefieri, vel condensari. Aëri itaque potissimum adscribendum est, quod febres epidemicæ sint, & certo anni tempore frequentissimæ. Sæpissime observavimus, quando præcesserit tempestas frigida, & aër constrictivus borealis humorum ventilationem ac transpirationem plus jùsto impederit, secuto postmodum aëre calidiori, qui particulis suis subtilibus, staticis, aperit plus jùsto poros & fibrillas cutaneas, materiamque viscidam excrementitiam in corpore stagnantem rarefacit, febres generari copiosissimas.

XV.

Quæcunque itaque extrema vasculorum cutaneorum nimis aperiunt, illaque apta reddunt, ut inibi hære & stagnare, in poris & glandulis subcutaneis incongrua quædam materia possit, illa ad febrem efficiendam multa contribuunt. Exinde patet ratio, cur post intempestivum balneorum, sudoriferorum usum fortiolem incalescentiam corporis à motu, vini vel Spiritus vini ingurgitatione, à motibus animi fortioribus invadere soleant febres. Porro quæcunq; in corpore nostro excrementum viscidum, acre, Mixturæ Sangvineæ & glandularum secretoriarum poris minus conveniens & incongruum generant, illa ad febrium productionem remote multum conferunt, quare retentio excrementorum v. g. sudoris, mensium, alvi, cohibita transpiratio, digestio & chylolysis depravata, chylus viscidus, crudus, ab alimentis vel in copia, vel nimis viscidis, crassis, ingestis confectus, vel chylus menstruo salivali minus activo & Spirituoso non satis subactus & præparatus, & charactere vitioso acido in primis viis vitioso imbutus, copiosissimam febrium mineram præbent. Familiare in praxi est, à cibo cum nausea assumpto, item à cibo post fortiolem animi motum capto subnasci febres. Videtur enim verisimile, chylum amicum & congruum Mixturæ Sangvineæ fieri à menstruo salivæ, quod imprægnatum est laudabili Spirituum animalium benè & in crassi sua constitutorum copia, qui poros sanguinis familiares, & similem partium situm formare debent, vitiatæ autem, vel in temperie, vel in motu suo illis ipsis Spiritibus, chylus quoad poros & particularum suarum situm difformis Mixturæ Sangvineæ redditur, hinc particule quædam irregulares, à motu sanguinis minus subactæ, in extremis vasculis facile hære & mineram suppeditare possunt febrium.

XVI.

Tradita sic nostra hypothesi circa febres intermittentes, symptomatumque cum suis momentis sylloge, proximum est, ut

ut explicemus ac solvamus magnorum duorum phaenomenorum rationem, quæ mirum in modum torfit & fatigavit hunc usque in diem Clariss. Medicorum ingenia. Primo, cur febres quædam singulis diebus, quædam tribus, vel quatuor diebus suscitentur, deinde, cur accurate periodos suas statas & typos servant, ut etiam ad horam certam nonnunquam redeant. Hoc ut clarum evadat, necessum est, ut prolegomeni loco notemus, materiam febrilem morbificam & quantitate & qualitate, esse diversam, & magis vel minus copiosam, acrem, vellicantem, salinam. In quotidianis itaque & tertianis concludimus, majorem acredinem materiæ febrili esse immixtam quam in quartanis, & quæ tardius recurrunt, ubi major visciditas & copia delinquere debent, quò acrior autem & mobilior est materia morbifica, eò citius vellicat fibras & ad contractiones spasmodicas adigit, sicque paroxysmum febrilem citius accersit, in quartanis autem majori eget mora & fermento, & tunc quantitate magis est molestum, quam qualitate. Et eadem est ratio, cur tempore verno & æstivo magis fiant febres quotidiana & tertiana, in autumno autem & hyeme magis quartana, item, cur illi, qui sanguine crasso & acido præditi sunt, magis quartana corripiantur, illi autem, qui sanguine subtiliori volatili & bilioso, magis quotidianâ & tertianâ laborent. Et hinc quoque ratio peti potest, cur febres quotidiana citius curari possint ipsis quartanis, materiâ morbificâ illarum longe mobiliori existente; Sal quoque salinum acre lymphæ mixtum indicant aphthæ & oris exulcerationes tertianariis familiares. In quartanis autem acidum & viscidum peccare, exinde liquere puto, quoniam emetica, & purgantia in illis vix operantur, & fortiori appetitu præditi sunt.

XVII.

Cum itaque pro diversa constitutione materiæ febrilis febrium typi vel accelerentur vel retardentur, fuit exinde, alterata & mutata materiæ morbificæ figura, mole ac motu, febrem
unam

unam transmutari posse in alteram, quod in praxi etiam frequentissime experimur. Sic observavi ab intempestivo usu præcipitan-
tium & acidorum it. Chinæ Chin. non solum longe pertinaciores
factas fuisse febres, sed & tertianas tandem mutatas fuisse in quar-
tanis, deinde nihil magis familiare est, quam ut ex tertiana simpli-
ci, tertiana duplex fieri possit nimio abusu volatiliū Spirituosorū
& calidorū medicamentorū.

XIIX.

Alterum quod spectat phænomenon solvendum, cur nimirum
stato die ac hora recurrere soleant febres, dicimus præsuppo-
sita certa quantitate ac qualitate materiæ morbificæ, quæ fibrillas
cutaneas vellicare apta est, fieri rigorem & febrem. Cum autem
in omni paroxysmo maxima pars materiæ morbificæ diffletur, ne-
cesse est ut requiratur certum quoddam tempus, quo iterum fiat
certa collectio apta ad vellicationem. Cum autem, uti in tota re-
rum Natura, sic quoque in nostro microcosmo, omnia certo nume-
ro, pondere, & tempore fiant, & circulatio sanguinis quoque justos
suos rhythmos servet, facile inde colligere pronum est, cur certo
saltim temporis spatio generetur talismodi proportionata materia
febrilis: deinde tribuendum quoque est multum hic consuetudi-
ni naturæ, seu specifico ac determinato motui Spirituum animalium
per actus repetitos ipsi impresso, facile enim Spiritibus certa
motus idæa imprimi potest, quæ etiā firmiter retinetur, ita ut tunc
ordinatos suos juxta illam efficiant motus. Sic notum est, quando
quis consuevit certa hora vigilare, somnum vel cibum capere, cer-
to isto recurrente tempore, etiam ipsi non cogitanti obrepit so-
mnus, vel evigilat, vel appetitus adest cibum capiendi, sic quoque
multi morbi sunt periodici, dolores, hæmorrhagiæ, quæ per certum
mensem vel etiam annum iterum recurrunt. Patet quoque in-
de, cur menses vel hæmorrhoides exacte typos suos servant. Hinc
etiam sapissime contingit, licet omnis causa febrilis absit, & febri-
cantes bene sese habeant, recurrere istum motum Spirituum
ordinatum febrilem. Juvat tunc contraria impressione Spirituum
motum

motum immutare & alio vertere, hunc in finem commendant acria vesicantia dolorem excitantia, sic quoq; variæ impressiones per amuleta, affectus animi, terror, tristitia, ira, ebrietas & alia sæpe febrem curant.

XIX.

Clarissime sic determinata vera febrium essentia & causa tam proxima quam remota, obvium est perspicere, in quam consistat vera methodus febribus medendi & quidnam in curatione efficiendum & qua facultate quoque instructa debeant esse medicamenta, quandoquidem curatio nil nisi causæ morbificæ sublatio est, & determinatio causæ morbosæ indicat quoq; statim remedium & ipsius vim. Proinde quæcunq; irregularem & inæqualem contractivum spasmodicum motû, qui in frigore accidit, placide demulcent & mixturâ sanguinis turbatam in ordinem redigunt, ejusq; circulum æqualem reddunt, illa febrem mitigare & ante paroxysmum adhiberi possunt, cujus generis jam sunt omnia blandè diaphoretica, vi aperiente & simul anodyna donata v. g. theriaca assumpta cum vino calido, quod medicamentum efficacissimum est in compescendis paroxysmis, vel acetum destillatum cum lap. Cancr. diascord. Fracastor. Croco, aq. fl. Samb. in decenti quantitate mixtum, & tribus vel quatuor horas ante paroxysmum propinatum expectando blandum sudorem, sic acerbitas paroxysmi mirum in modum mitigatur. Conducit quoque hunc in finem magna in quantitate propinare quatuor horas ante paroxysmum infusum H. Theé. Consentit hanc in rem Hippocrates lib. de locis in hominibus c. 39. qui febricitantibus suis etiam propinavit calidâ, ubi inquit: Cum lassitudo, febris & plenitudo detinuerit, multa aqua lavandum, & quam maxime calefaciendum est, quo calor, aperto per sudorem corpore exeat, & in potu exhibenda est calida. Potus enim calidus in corpus ingestus ex ægro corpore detrahit, sive urinas educat, sive sudorem eliciat,

eliciat, undique enim apertum & respirans corpus ac motum, faciet quod conducat. Calidam quoque aquam, si sudoris adsunt indicia, svaedet Celsus, ut sudor per omnia membra diffundatur ad febris diminutionem v. pag. 130. Quod si autem motus spasmotici fortiores complicati sunt febrili insultui, quales sunt hysterici, & post rigorem calor corporis intensissimus sequatur, optimum consilium est immiscere Castorina, Opiata, Cinnabarina, & ad compescendum calorem Nitrofa, singula tamen iusta sub dosi.

XX.

Tunc autem curationem perfecte instituimus, quando omne consilium eo dirigimus, ut causam morbificam tollamus, hinc ad febrem radicitus extirpandam ea conveniunt, quæcunque corrigunt & subtrahunt fomitem febris, nimirum quæ materiam febrilem in poris subcutaneis stagnantem, prout est acris, acida, viscida, corrigunt & ad statum naturalem reducunt, illamque per evacuatoria congrua proscribunt. Cum autem focus & sedes materiæ febrilis potissimum sit in primis viis & in maximo illo alimentorum canale, intestinis fabricetur, ex mala digestionem & variorum humorum, nimirum bilis, succi Salivæ & Pancreatici commixtione; primo omnium erit intentio, ut saburrâ copiosorum vitiosorum humorum depleamus primas has vias, ipsumque ventriculum, præsuppositis sufficientibus indiciis, per lenia emetica ipsaque purgantia, & sic sæpe unico purgante vel emetico debellatur febris. In genere tamen monendum duco, omnia drastica & fortiora purgantia, quæ multas incongruas, & inimicas Spiritibus nostris, acresque particulas, & cum materia febrili symbolicas recondunt, hic esse vitanda, sed magis in usum vocanda sunt secura, semper tamen cum salinis, absterfivis, aromaticis mixta, ut non solum evacuemus, sed ut simul alteremus & corrigamus noxias & devias humorum qualitates. Præter hæc jam in debitam suam crasin reducunt, & qualitate hostili prædi-

præditos humores corrigunt, illosque per evacuatoria sua, proscribunt, per renes vel per sudorem, omnia salina, incidentia & solventia viscidum v. g. Sal digest. Sylv. fl. Sal. Ammon. Tartarus Vitriol. Tartarifat. Arcan. dupl. Nitr. Antimon. Secundo omnia Sale fixo Alcalino imbuta, uti sunt omnia, Salia vegetabilium fixa, & omnia terrea Alcalia, & omnes herbarum amaræ, illarumque Essentiæ & Extracta, quæ non solum, visciditates humorum incidunt, sed & acidum vitiosum in corpore subigunt & figunt. Tertio, omnia Sale volat. oleoso instructa, quæ maxime in quartana, & illis febribus, quæ viscidum acidum copiosum pro causa habent, conducunt.

XXI.

Fomite itaque morbofo subtracto robur ipsis vasculis & nervulis partium extremarum conciliandum est, simulque, Massa Sangvinea leniter constringenda ac roboranda, ne ita, ad secessionem particularum acrium, & ad confusum turbatum motum apta fiat. Huic intentioni quam optime satisfacit laudatissimus Cortex Chinæ, qui circumspecte & probe, observatis circumstantiis usurpatus, divinum medentibus præbet auxilium, omnibusque antifebrilibus hætenus notis palmam præripit, utpote non agit principio quodam Styptico, acetoso, sed blando, terrestri, leniter tamen constringenti amaro, naturæ & nervis amico elemento, parietes & villos fibrarum laxos roborat leniterque constringit, ut ad motum, promptiorem animentur & omnis subsistentia in illis ipsis vitiosi humoris impediatur. Dum enim medicamentum, hoc leniter constringit, simul ipsis fibrillis robur, motum, & elasticitatem fœnerat, unde ad motum animantur & ad materiam inhærentem extrudendam promptiores evadunt. Totum autem arcanum curandi febrem per Chin. Chinam consistit in ejus applicatione. Quod autem illud ipsum medicamentum adstrictiva facultate magnas suas exerat vires, alio loco demonstrandum sibi sumpsit *Excell. Dn. Præses.*
C 2 Omnia

Omnia autem adstringentia in debellandis febribus magna pollere efficacia, patet ex ipso Alumine, ex Rad. Torment. Visc. Quercin. Tinctur. Mart. Liquor. Mart. pulv. testar. ovor. conchar. maximè si cum aceto propinentur, tunc enim Aluminosum miscelâ induunt naturam. Hoc tamen coronidis loco notandum est, Corticem Chin. in substantia, præmissis præmittendis longe eximiozem & præstantiorem esse omnibus ex ipso præparatis Essentiis, Extractis, Infusis & aliis ex ipso compositis medicamentis. Verum hæc quoad novam hanc demonstrandi febrium intermittentium causam & curationem hac vice sufficiant, interim quod unicum superest, Tibi Triune & Trismegiste Deus, pro clementissima Directione & Assistentia gratiosoque auxilio, immortales nuncupamus Gratias.

F I N I S.

